

& brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuit tibi in ipsis. Dicamus autem primò de Occasione & causa Confessionis Augustana, scripta, exhibita, recepta, confirmata, & ea dicamus, quæ vera sunt, & de quorum certitudine constat ipsis quoq; Monarchis, Electoribus, Principibus, & alijs Ordinibus, non tantum qui Confessionis nostræ sua nomina dederunt, sed etiam aduersarijs, quos in re manifesta mentiri non decet, & pudet etiam saniores & cordatiores, in quorum numero Surium Carthusianum, & similes scurras diuersa & contraria veritati comminiscentes, habendos esse, ipsa Veritas, & Aduersariorum quoq; quorundam candor & conscientia, negat.

Cumq; Misericors Deus Pater D. N. I. C. in his mundi fecibus nostri misertus, per electum illud Organum Lutherum, postremum Eliam postremæ ætatis, ut D. Philippi Præceptoris verbis utamur, Omne id, quod Ecclesiæ Christi in doctrina repurgatione salutare præstitum est, cœu per occasionem causam, instrumentum atq; manuum inceperit, produxerit, continuauerit, & perfecerit, & nos quoq; tempus iam, & mensis moneat, quo Heros ille natus est, ut paulo post dicemus, ut dicturi aliquid de Origine & initijs Confessionis Augustanæ, non possimus nec debeamus omittere Lutheri mentionem, qui nostro tempore primus Dux & Pater fuit vexilli sanguine Filij Dei confirma-